et Johannes

Otto et Conradus, dei gratia Brandenburgenses et de Landesberg marchiones, omnibus
audientibus presentia seu visuris salutem atque sinceram ad beneplacita voluntatem.
Ex quorundam relatu audivimus, quod in terminis nostris Budissinensibus aliquotiens
pro maleficiis seu dampnis proscripti per advocatos nostros seu officiales a pro-
scriptionis sententia absolutionem et liberam dimissionem, consensu et voluntate
lesorum ac offensorum minime, non tamen ordine iuris, poscerent requisito. Unde
cum ex eo sentiamus detrimentum et gravamen nostre civitatis et terre Budes-
sinensis quodlibet redundare, maturo discretorum nostrorum militum ac vasallorum
usi consilio, mandamus et volumus nunc deinceps pro communi iure teneri
ab universis prefate terre nostre inhabitatoribus et servari, quod nullus ho-
minum a proscriptionis sententia manumitti debeat aut absolvi, nisi prius
et ante omnia offensis et lesis de suis dampnis ac iniuriis fuerit satisfactum.
In cuius evidentiam sigillari iussimus presens scriptum. Actum et datum in
civitate nostra Gorlitz, Anno domini M°, CCC°I°, in dominica qua cantatur Esto michi.